

(7. Supradicta Concordata viguerunt per tria fere saecula usque ad annum 1789. quo tempore illa natio seducta erroribus principis tenebrarum divina humanaque pedibus conculcavit, et adeo in insaniam profecit, ut etiam Religionem omnem excluderet, et Sacerdotes Dei interfecerit. (8. Sed paucos post annos, dissidiarum perturbationibus nondum extinctis, ille, cui favit fortuna inter discordias intestinas et bella, haud ignarus quantae virtutis Religio esset ad restituendum ordinem civilem, ad sedandos animos, et ad sublevandum ipsum in locum, quo destitutus fuit Ludovicus XVI. rogavit Vicarium Christi in terris, ut mitteret Legatos suos Parisios, qui prepararent novam Conventionem inter S. Sedem et illam nationem. Pius VII. desiderans pacem Ecclesiae non dissimulavit voluntatem suam reducendi errantes in sinum S. Matris, et promisit, ut pote necessarium ad temporum indolem, relaxare rigorem ecclesiasticae disciplinae; immo, ut negotia citius et sine impedimento expediri possint, publicavit Breve ad Archiepiscopos et Episcopos, quo ipsos ad voluntariam renuntiationem suarum Sedium induceret. Articulis hujus Conventionis non afferemus, quia abrogata iis fuit per subsequentem novam Conventionem inter Apostolicam Sedem et Ludovicum XVIII. (9. Sed nec haec conventio restituere potuit pacem afflictissimae Ecclesiae Gallicanae, cum imperans majori parti Europae, victoriis suis elatus, ipsam Ecclesiam suis legibus subjici conaretur, quo in consilio illi obstabat constantia invicti Vicarii Jesu Christi in terris; qui tandem iterum atque iterum requisitus, cum in Galliarum regno patrimonio Ecclesiae spoliatus detentus esset, promissionibus pro bono Ecclesiae ab Imperatore inductus approbavit certis sub conditionibus novam Conventionem, et eam subscripsit cum clausula *servatis servandis*. Sed ille spreto conditionibus Conventionem istam absolute approbatam a Summo Pontifice contra promissionem datam publicavit; unde nullius valoris extitit ob defectum consensus alterius partis. Et haec est conventio dicta *Fontainebleau*).

(10. Pace tandem post bellicifuroris tempestatem recuperata, et Ludovico XVIII. avito solio reddito, Pius VII. Summus Pontifex omni cura intendit, ut plagas Gallicae Ecclesiae sanaret, atque Religionem Catholicam in eo regno in pristinum splendorem restitueret, quare novam Conventionem cum Rege inivit, et decimoquarto Kalendas Aug. 1817. eandem publicavit tenoris sequentis.

ART. I. Concordatum inter Summum Pontificem Leonem X. et Franciscum I. Francorum Regem initum restituitur.

ART. II. Consequenter ad Articulum praecedentem Concordatum diei 15 Julii anni 1801. suum effectum habere desinit.

ART. III. Articuli Organici nuncupati, qui inscisa Sanctitate Sua conditi, ac sine ullo

ejus assensu die 8. Aprilis anni 1802. una cum supradicto Concordato diei 15 Julii anni 1801. promulgati fuerunt, abrogantur in iis, quae adversantur Doctrinae et Legibus Ecclesiae.

ART. IV. Ecclesiae, quae in Galliarum Regno per Apostolicas Sanctitatis Suae literas diei 29. Novembris anni 1801. suppressae fuerunt, denuo eriguntur usque ad eum numerum, qui, ut pote Religionis bono magis proficiuus, mutuo consensu praefinitur.

ART. V. Cunctae Archiepiscopales, et Episcopales Ecclesiae Regni Galliarum per memoratas Apostolicas literas diei 29. Novembris anni 1801. erectae una cum earum Titularibus actualibus conservantur.

ART. VI. Praescriptum praecedentis Articuli circa conservationem eorumdem Titularium actualium in Archiepiscopilibus, et Episcopilibus eorum Sediibus nunc existentibus in Gallis, impedimento non erit peculiaribus aliquibus exceptionibus, quae gravibus, legitimisque causis nitantur, neque officiet, quominus aliqui ex Titularibus praedictis ad alias Sedes transferri possint.

ART. VII. Dioeceses Ecclesiarum, quae in praesens exstant, itemque aliarum, quae erigendae sunt, exquisito prius ab actualibus Episcopis, et Capitulis Sedium Vacantium consensu, iis finibus circumscribentur, qui ad utiliorem ipsarum administrationem magis expedire dignoscantur.

ART. VIII. Conveniens dos cunctis tam existentibus, quam denuo erigendis Ecclesiis in bonis stabilibus, ac in redditibus super Regni debito fundatis, vulgo *Rentes sur l'Etat*. quamprimum fieri poterit, constituetur, assignato interim earum Pastoribus reddito in ea quantitate, quae statum eorum meliorem reddat.

Pari ratione consuletur Dotationi Capitulorum, Paroeciarum, et Seminariorum tum existentium, tum erigendorum.

ART. IX. Sanctitas Sua, et Majestas Sua Christianissima agnoscunt mala omnia, quibus Galliarum Ecclesiae affliguntur. Perspicunt etiam, quam fructuosum Religioni futurum sit, celeriter augeri numerum Sedium actu existentium. Ne proinde tam magna utilitas diutius retardetur, Sanctitas Sua per Apostolicas Literas ad Sedium erectionem, et novam Circumscriptionem Dioecesium supra memoratarum sine mora procedet.

ART. X. Majestas Sua Christianissima novum praebere volens sui in Religionem studii testimonium, omnia, quae in sua potestate sunt, collatis cum Sanctitate Sua consiliis, praestabit, ut mala, et impedimenta, quae Religionis bono, et legum Ecclesiae executioni adversantur, quam citius fieri poterit, removeantur.

ART. XI. Antiquarum Abbatiarum Nullius Dioecesis Territoria iis Dioecesibus uniantur, intra quarum fines in nova circumscriptione comprehensa reperientur.

ART. XII. Redintegratio Concordati, quod in Gallia observatum fuit usque ad annum 1789. (Articulo primo hujus Conventionis

stipulata) Abbatiarum, Prioratum, et aliorum Beneficiorum, quae tunc exstebant, redintegrationem secum non feret. Beneficia tamen, quae in posterum fundari contingat, regulis in supradicto Concordato praescriptis subjecta erunt.

ART. XIII. Ratificationes praesentis Con-

### CONCORDATA QUOAD BENEFICIA.

Vide verb. BENEFICIA, ART. 11. PER TOT.

### CONCUBINARIUS, CONCUBINATUS.

Vide verb. ABSOLUTIO, ART. 2. A N. 11. verb. LUXURIA N. 7. et verb. POENA, ART. 2. A N. 74 et 81.

### CONCURSUS.

#### SUMMARIUM.

##### ARTICULUS I.

1. Concursus, ut legitime, et canonice fiat, servanda est dispositio Sacrorum Canonum, et Apostolicarum Constitutionum, et Decretorum, et signanter dispositio Concilii Tridentini, Sancti Pii V. et Clementis XI. — 2. Afferitur dispositio Concilii Tridentini. — 3. Afferitur dispositio Sancti Pii V. — 4. Datur dispositio Clementis XI. — 5. Afferitur compendiose novissima dispositio Benedicti XIV.

ARTICULUS II. Ad quem spectet ediocere, ac facere Concursum, et quinam debeant, et possint ad illum admitti?

1. Concursum edicere spectat ad Episcopum, seu Ordinarium. — 2. Episcopus tamen non potest solus facere Concursum, quando habet Vicarium Generalem sibi Roma missum, sed assistere debet etiam Vicarius. — 3. Et si Vicarius sit Apostolicus, ad ipsum solum, non ad Episcopum, pertinet facere Concursum, sicut et Synodum, et declarare magis idoneum. — 4. Immo, si Episcopus reperiretur suspensus a Jurisdictione, et haberet praeservatum Jus conferendi Beneficia, non posset ex approbata in Concursu Parochialis digniorem praeligere; sed hoc Jus pertineret ad Vicarium Apostolicum. — 5. Edicta pro Concursu habendo ad Parochiales vacantes, quarum collatio pertinet ad inferiores Praelatos, qui non habent Territorium distinctum, nec jus congregandi Synodum, debent publicari ab Episcopo, in cuius Dioecesi Parochialis existit: vel ab alio, qui est vicinior, si sit Nullius, et coram eo Concursus fieri, et ad ipsum Episcopum ex dignis digniorem eligere, et inferiori Praelato pro collatione, seu institutione remittere spectat. — 6. Et Praelatus inferior habita significatione, non poterit conferre alteri quam praelecto ab Episcopo. — 7. Abbas, seu Commendatarius, vel alius Praelatus Episcopo inferior, non potest Concursum et examen instituere ad Parochiales existentes intra fines suae Jurisdictionis, et collationis, quando non habet potestatem congregandi Synodum, et actu non congregat, sed hujusmodi Concursus, et examen spectat ad Episcopum, intra cuius Dioecesis fines existit Abbas; et si non constat intra cuius Dioecesis fines existat, id spectat ad Episcopum viciniorem. — 8. Abbates tamen, seu Commendatarii, alique Praelati Episcopo inferiores, qui omnimodam habent Jurisdictionem quasi Episcopalem, et propriam habent Territorium, si habeant Jus congregandi Synodum, et legitime constet illam congregasse, et elegisse Examinatores, possunt Concursum instituere, et omnia ad id necessaria facere. — 9. Et hoc in specie competit Abbati Montis Cassini. — 10. Episcopus manutenendus est in sua quasi possessione instituendi Concursum, donec Praelatus inferior coram Judice competente legitime probaverit Jus cogendi Synodum habere, il-

ventionis mutuo tradentur unius mensis spatio, aut citius si fieri poterit.

ART. XIV. Statim ac praedictae Ratificationes mutuo traditae fuerint, Sanctitas Sua per Apostolicas Literas praesentem Conventionem confirmabit, ac deinde aliis Apostolicis Literis Dioecesium fines circumscribet.

lamque alias coegisse, in aequae Examinatores ad praescriptam Concilii formam deputasse. — 11. Unde Episcopus Forosempronienis uti vicinior, manutenendus est in sua quasi possessione Concursum instituendi in vacationibus Ecclesiarum Parochialium della Ravignana; donec Abbas Classen. legitime probaverit habere tale Jus. — 12. Concursus, qui in vacationibus Parochialibus fieri solet coram Episcopo viciniore, si occasione pestis Civitas illius sit bannita, et aditus praclusus ad eundem Ordinarium viciniorem, potest prorogari. — 13. Concursus edicta Ordinarii proponere debent in Beneficiis Curatis reservatis Sedi Ap. vacantibus per obitum. — 14. Episcopus instituens Concursum ad formam Concilii, non potest ut suspectus recusari: sed qui se existimaverint gravatos, appellare poterunt a mala Ordinarii electione, seu Judicio, ad effectum devolutivum, non suspensivum. — 15. Vicarius Generalis Episcopi potest, Episcopo impedito, proponere Edictum pro Concursu, et coram se examen indicere. — 16. Immo multi tenent examen Concursus posse fieri coram Vicario Generali, etiam Episcopo non impedito. — 17. Quinimodo potest Vicarius Generalis proponere edictum pro Concursu, etiamsi ipsemet velit examen subire, et Episcopus illi sit Ecclesiam ipsam vacantem collaturus. — 18. Sic etiam Vicarius Capitularis potest Concursum ad Parochiales vacantes, tempore Sedis vacantis, facere. — 19. Capitulum nullam habet auctoritatem in his examibus, sed debet constituere officialem, seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi. — 20. Is Vicarius sic constitutus potest obire illa omnia, quae obeunda essent ab Episcopo, et debet indicere Concursum, uti faceret Episcopus. — 21. Deinde examinare debet Concurrentes, adhibitis saltem tribus Examinatoribus, quorum votis, si paria, aut singularia fuerint accedere poterit ipse Vicarius, quibus magis ei videbitur. — 22. Idem Vicarius debet curare, ut singulis annis a Dioecesana Synodo probentur Examinatores saltem sex. etc. — 23. Novus semper Concursus, et novum examen, novaque approbatio requiritur singulis vicibus pro quacumque Parochiali vacante; nec sufficit unus solus Concursus pro pluribus Parochialibus. — 24. Examinatores ex pluribus examinatis, non unum solum, sed plures, quos judicaverint idoneos, significabunt Vicario, et ex istis solus Vicarius eliget, quem ceteris magis idoneum judicaverit. — 25. Haec enim facultas nullo modo Examinatoribus competit. — 26. Ipse solus Vicarius absque Examinatoribus scribit Literas ad Sanctissimum D. N. — 27. Ad quem Collatio Parochialis spectabit. — 28. Capitulum, aut Decanus Cathedralis non potest indicere Concursum, nec alia ad id necessaria obire, sed omnia spectant ad Vicarium Capitularem. — 29. Multo magis idem Capitulum abstinere debet a conferendo Parochialem vacantem in Commendam temporalem et, qui magis idoneus fuerit judicatus. — 30. Maxime etiam cavere debet, ne concedat omnes fructus ipsius Pa-

rochialis eidem, dicta Commenda durante. — 51. Concilium enim hæc omnia prohibuit, dum statuit debere Episcopum statim habita notificatione Parochialis, idoneum in ea Vicarium cum congrua fructuum portione constituere, quod munus, Sede vacante, spectat ad Vicarium Capitularem. — 52. Nec ipse Vicarius Capitularis potest constituere Vicarium in Parochia eum, quem magis idoneum in Concursu iudicaverit; sed debet omnino a principio vacationis, et antequam fiat Concursus, constituere in ea alium Vicarium, qui curam animarum interea gerat, donec Parochialis fuerit a Sede Apostolica magis idoneo collata. — 53. Ad Concursum Parochialium non tantum Diocessani, sed etiam exteri debent admitti, nisi adsit aliquod privilegium, quod Beneficia non conferantur exteris. — 54. Ad Concursum debent admitti tam exteri, quam Originarii, etiamsi habeant aliud Beneficium Curatum. — 55. Nec Episcopus prohibere potest Curatis, ne accedant ad Concursum aliarum Parochialium. — 56. Originarius tamen, et de gremio Ecclesie est semper cæteris paribus præferendus extraneo. — 57. Immo secundum multos, dignus de gremio Ecclesie potest eligi posthabito digniore extraneo. — 58. Regulares omnes, quamvis sint Canonici, sive Præmonstratenses, sive Lateranenses, sive quicumque alii Canonici Regulares, non sunt admittendi ad Concursum Parochialium sine dispensatione Apostolica. — 59. Afferuntur ad id plures declarationes Sacre Congreg. Concilii; ad *num.* 40. — 41. Afferuntur ad id etiam declarationes Gregorii XIII et Clementis VIII. ad *n.* 42. — 43. Afferuntur ad Literam Decretum Clementis X, cum derogatione omnium privilegiorum, et consuetudinum etiam immemorabilium; non obstante etiam formula Professionis. — 44. Licet autem hoc Decretum Clementis X, respiciat solos Canonicos Lateranenses, tamen vere, et realiter complectitur omnes alios Canonicos Regulares; ad *n.* 50. Vid. verb. *Habitus* *n.* 69. — 51. Canonici Regulares omnes multo magis absque dispensatione speciali Apostolica sunt incapaces ad obtinenda Beneficia secularia non Curata. — 52. Afferuntur ad id Decreta Sacre Congregationis, et responsio Gregorii XIII. ad *n.* 54. — 55. Unde hæc incapacitas Regularium ad quæcumque Beneficia secularia efficit, ut si obtineatur aliquod Beneficium ab Ordinariis absque dispensatione Apostolica, ipsa institutio sit ipso Jure nulla, et possit denuo uti vacans impetrari per alium; ad *n.* 56. — 57. Possunt tamen Regulares, et a fortiori ipsi Canonici Regulares assumi in Parochos sine dispensatione Apostolica in Parochiis eorundem Monasteriorum, vel membris omnimode illis subjectis. — 58. Et posse sic deputari Regulares in Parochos dictarum Parochialium pluries probavit Sacra Congregat. Conc. — 59. Nec possunt cogi ipsi Regulares deputare Sacerdotem sæcularem in simili Parochia subjective unita ipsorum Monasterio: sed libere sine alia dispensatione possunt Regulares Superiores in similibus suis Parochiis deputare pro Parochiis suos Religiosos ad eorum nutum amovibiles. — 60. Nec ipsi Religiosi ad exercitium talis Curæ, seu Parochie deputati, possunt reclamare, si ab ipsis removeantur. — 61. Neque possunt Congruam pro Curato sæculari taxatam a Monasterio petere, nisi quantum indigent ad propriam, et onerum Ecclesie sustentationem, et totum id, quod superest, debetur fideliter a Curato Religioso suo Monasterio. — 62. Alia ad rem. *Remissive*. — 63. 70. An exclusio a Concursu operetur nullitatem ipsius Concursus independentem a reclamacione exclusi.

**ARTICULUS III. Concursus, quando, ubi, et quomodo faciendus?**

1. Eveniente alicujus Parochialis Ecclesie vacatione debet Episcopus statim illius vacationis habita notificatione, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua fructuum portione assignatione constituere.

— 2. Verba illa, *si opus fuerit*, addita sunt ad excludendum casum, quo in eadem Parochiali Ecclesia adessent alii Ministri Sacramentorum, qui interea Curam illam, quæ ad defunctum spectabat, exercerent. — 3. Illa dictio, *statim*, videtur importare, quod Episcopus non possit in longum differre, sed quantocius debere hujusmodi Vicarium constituere, saltem intra triduum a die habita notificationis. — 4. Episcopus potest differre Concursum usque ad sex menses, si Parochialis in suo mense vacaverit; et usque ad quatuor, si vacaverit in mense Sedi Apostolicæ reservato. — 5. Isti sex, vel quatuor respective menses concessi ad conferendam Parochialem, incipiunt currere non a die vacationis Parochie, sed a die scientiæ vacationis. — 6. Sic etiam tempus quatuor mensium concessum Episcopis ad provisionem faciendam de Parochialibus ad Papæ collationem spectantibus, non currit, nisi a die notitiæ habite vacationis. — 7. Tempus sex, vel quatuor respective mensium concessum Episcopis ad conferendas medio concursu Parochiales vacantes, currit ipsis Episcopis etiam, quando accedunt ad Concilium Provinciale. — 8. Pendente termino sex, vel quatuor respective mensium, debet Episcopus proponere Edictum Concursus intra decem dies, vel aliud tempus a se præfigendum. — 9. Dies in edicto pro Concursu ab Episcopo præscripti possunt prorogari usque ad 20. dies, sed non ultra. — 10. Non tenetur tamen Episcopus terminum Concursus prorogare, sed bene facit prorogando. — 11. Si vero iusta causa proroget Concursum ad Beneficia, hujusmodi prorogatio est publicanda, alioquin Concursus erit nullus. — 12. Concursus habitus infra terminum decem dierum non est nullus; si nemo post examen comparuit, qui se læsum prætentat. — 13. Idem dicendum est, si aliqui examinati fuerint infra decem dies, alii vero post, ita ut nullus ex Concurrentibus remanserit non examinatus. — 14. Tempus, quo debet esse affixum Edictum, est arbitrium Episcopo, modo non excedat viginti dies. — 15. Dies certa examinis Concurrentium, et propositi Edicti, debet apponi in Literis citatoriis Concursus, alias ipse Concursus vitietur. — 16. Non debet amplius audiri, seu examinari, qui nullo detentus legitimo impedimento non comparuit in tempore Concursus præscripto. — 17. Qui tamen ratione legitimi impedimenti non comparuit in tempore Concursui præfixo, debet post terminum Edicti, re adhuc integra, ad Concursum admitti, etiam reclamantibus aliis oppositoribus. — 18. Ante lapsum terminum Edicti, nullus est Concursus, si post ipsum compareat aliquis, qui se læsum propterea prætentat. — 19. Unde examen, statim elapso termino Edicti, potest per Episcopum inchoari: sed potest eadem die claudi, ubi plures fuerint descripti; alioquin vitietur Concursus, si ex pluribus descriptis unus, aut non omnes examinentur, et eis non expectatis, claudatur Concursus. — 20. Uno tantum comparente ex pluribus descriptis, fieri potest Concursus, nec est opus ut proponatur secundum Edictum. — 21. Quando unus tantum se describi facit, nec alii compareant oppositores ad se describi faciendum, fieri potest Concursus; nec opus est alio Edicto, aut termini prorogatione. — 22. Quando nullus ad Concursum comparuit, aut certe nullus ex comparentibus vult subire examen, Episcopus assignare debet aliud tempus, sive Edictum, et si adhuc nemo compareat, vel alias nemo idoneus reperiatur, tunc conferre potest sine Concursu. — 23. Edictum Concursus debet proponi ab Ordinario loci, ubi existit Beneficium Curatum vacans, et ibidem est examen peragendum, etiamsi Beneficium ab Ordinario alterius Diocesis sit conferendum. — 24. Episcopus Civitatum unitarum, potest Concursum facere in Civitate, in qua reperitur, modo cum interventu Examinatorum Diocesis, in qua sita est Parochialis. — 25. Concursus Parochialium vacantium in Abbatibus, Commendis,

aliisque locis subjectis Prælati non habentibus jus congregandi Synodum, debet fieri in Civitate residentiali vicinioris Episcopi, cum ad ipsum spectet talium Parochialium Concursum edicere, et convocare. — 26. Adeo ut, si Civitas vicinioris Episcopi, occasione Pestis v. g. sit bannita, et aditus sit præclusus ad eundem Episcopum viciniorum, detur potius facultas prorogandi tempus Concurrentium, quam Concursum permittere in loco subjecto Abbati, seu alio inferiori Prælato non habenti jus congregandi Synodum, et Examinatores Synodales eligendi. — 27. Immo, si Episcopus ipse sit Abbas, seu Commandatarius Abbatie nullius Diocesis, non potest ibi concursum facere, sed debet concursum convocare in sua Diocesi. — 28. Potest tamen Episcopus, in quocumque loco existat, etiamsi extra locum examinis sit, et etiam absentibus Examinatoribus, eligere magis idoneum. — 29. Examen Concurrentium debet fieri ab Episcopo, vel ipso impedito, ab ejus Vicario, et aliis Examinatoribus Synodalis, non paucioribus quam tribus. — 30. In Concursu possunt adhiberi plus quam tres Examinatores Synodales, sed non pauciores. — 31. Examinatores ad minus sex debent eligi quotannis in Synodo Diocesana. — 32. Examinatores Synodales in Synodo ad summum viginti eligi possunt. — 33. Examinatores electi in Synodo perdurant usque ad novam Synodum, licet quolibet anno celebretur. — 34. Si Examinatores ante celebrationem alterius Synodi moriantur, vel in longinqua recedant, sive omnes, sive tot, ut non remaneant sex, Episcopus cum approbatione Capituli subrogabit alios æque idoneos, dummodo semper utatur existentibus; et hoc infra annum a Synodo celebrata; elapso enim anno, talis facultas, et eorum auctoritas expirat. — 35. Hodie tamen occurrente casu, peti solet facultas a Sacra Congregatione. — 36. Examinatores Synodales eligi debent, qui sint Magistri, seu Doctores aut Licentii in Theologia, vel Jure Canonico, si extent, alioquin alii Clerici sunt eligendi, qui ad id videbuntur magis idonei; ad *n.* 58. — 59. Tales electi Examinatores debent ad Sancta Dei Evangelia jurare, se fideliter munus suum executuros. — 40. Hoc juramentum est de forma substantiali, eoque deficiente, Examinatores non dicuntur legitimi, et Concursus factus coram eis ante præstitum juramentum, est nullus. — 41. Sufficit tamen ad validitatem Concursus, quod hoc juramentum sit semel præstitum, sive in synodo, sive extra Synodum. — 42. Concursus est nullus, in quo cum Examinatoribus Synodalibus, alius intervenit, qui non erat de Synodalibus, isque examinavit; ad *n.* 45. — 44. Si vero Examinatoribus Synodalibus intersit aliquis, qui non sit Examinator Synodalis, isque post examen interrogat tantum honoris causa, nec det Votum, nec se subscribat, Concursus est validus. — 45. Concursus est nullus, ubi fuerint adhibiti Examinatores deputati in Synodis præcedentibus, et non confirmati in Synodo posteriori. — 46. Examen factum sine Synodalibus Examinatoribus in collatione Jurispatronatus Ecclesiastici, seu Laicalis, vel mixti, quando plures presentantur, est nullum. — 47. Episcopus non habet votum decisivum in Concursu, sed tantum accedit, ubi vota sunt paria aut singularia. — 48. Approbatus autem nemo

1. Quia Concursus ad Parochiales debet omnino fieri juxta dispositionem Sacri Concilii Tridentini *sess.* 24. *cap.* 18. et juxta dispositionem Constitutionis Sancti Pii V. incip. *In conferendis*; ut ab omnibus in promptu, et præ oculis semper tamquam regula habeatur, utraque ipsa dispositio hic ad litteram in primis adducitur. (2. Expedit maxime (sunt præcisa verba Concilii *loc. cit.*) expedit maxime animarum saluti, a dignis, atque idoneis Parochiis gubernari: id ut di-

censetur, si ex tribus Examinatoribus quilibet eorum unum approbaverit, aut alii duo approbata ab altero reprobaverint, licet Episcopus uni accedat. — 49. Idem dicendum, quando sunt quinque Examinatores, et quilibet eorum approbat unum ex examinatis, et ceteri quatuor reprobant approbatum ab altero: tunc enim nemo approbatus censetur, licet Episcopus uni accedat. — 50. Idem etiam dicendum, si unus tantum compareat ad se examinandum coram tribus Examinatoribus, uno illorum approbante, et aliis duobus reprobantibus, quia illi non potest accedere Episcopus. — 51. Non spectat ad Examinatores, sed ad Episcopum solum judicare, et eligere, qui ex Concurrentibus ad Parochiam vacantem sit magis idoneus. — 52. Rejectus in Concursu Parochialis potest provocare ad novum examen coram Jure appellationis, etiam antequam doceat de irrationali judicio Episcopi. — 53. Et sic est intelligenda Constitutio Sancti Pii V. — 54. Et sic pariter fuit declaratum, quod novus Concursus dandus sit in Urbe, ubi fuit appellatum a mala Episcopi electione; et ad eandem Urbem novo concursu vocandus sit prælectus ab Episcopo. — 55. Immo, quia in casu illius decisionis Sacre Congregationis præelectus noluit accedere, eadem Sacra Congregatio mandavit significare D. Datario, ut expediret Bullas ad favorem appellantis, amoto a Beneficio detentore. — 56. Dato, quod Examen omnium Concurrentium una die fieri non possit, poterit in alia continuari; si vero aliqua suspicio sit, quod examinandi secunda die veniant in cognitionem examinis præcedentis, nova tunc poterit fieri interrogatoria. Nunc autem servanda est novissima dispositio Clementis XI. et Benedicti XIV. — 57. Canonicatus Pœnitentiariæ et Canonicatus Theologalis debet nunc conferri per concursum. — 58. Quoad Parochiales et Beneficia, quæ debent conferri per Concursum, vel non. *Remissive*, ad 60. — 61. Terminus decem dierum, et ad summum viginti dierum, qui prorogari ab Episcopo regulariter nequit, non est pro perfectione Concursus, sed pro convocatione eorum, qui concurrere volunt. — 62. Unde etiam elapso termino illo, liberum Episcopo est, differre Concursum usque ad ultimam diem semestris. — 63. Quod si Episcopus in edicto pro convocatione nullam habuit mentionem de die, quo Concursus convocandus esset, debet omnibus, qui in Albo Concurrentium se descriperunt, notificare diem hunc per personalem citationem. — 64. Consuetudo est, ut Clericus ille vel aptior ad Beneficium obtinendum approbetur, qui ex majori Synodali Examinantium parte magis reputatur idoneus. — 65. Qui mos fere apud omnes Episcopos inolevit. — 66. Sed cum non omnis consuetudo faciat doctrinam probabilem amplectendam. — 67. In Episcopi arbitrio posita est illius Concurrentis electio, cui etiam major Examinatorum numerus suis renavet votis. — 68. Cui doctrinæ favet Jus Civile, et Canonicum. — 69. Quæ regula servari poterit ab Episcopo etiam in aliis publicis consulentiis Doctorum congressibus ad id genus alia institutis. — 70. Ab Episcopo potest unius tantum opinio eligi, et probari in quocumque eventu, relicta multorum opinione contraria.

gentius, ac rectius perficiatur, statuit Sancta Synodus, ut Parochialis Ecclesie vacatio, etiamsi cura Ecclesie, vel Episcopo incumbere dicatur, et per unum, vel plures administretur, etiam in Ecclesiis patrimonialibus, seu receptivis nuncupatis, in quibus consuevit Episcopus uni, vel pluribus curam animarum dare, quos omnes ad infrascriptum examen teneri mandat, per obitum, vel resignationem, etiam in Curia, seu aliter quomodocumque contigerit etiamsi ipsa